



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1658**

§. 95. Dicit ei Pilatus: Ergo Rex es tu?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45556**

§. 95. Dicit ei Pilatus : Ergo Rex es tu?

Quia præses adverteret ex Christi verbis non negare, se esse Regem; sed solum non esse Regem hinc vel de hoc mundo & capere huiusrei mysterium non poterat, cogitavit eum verbis clavis & apertis interrogare, replicando ad Christi dictum hoc modo: Ergo saltem Rex es tu, ut veritatem apertam ex ore eius intelligeret, & secundum eam iudicare posset, & Tyberio Cæsari rationem dare. Præsens autem ænigma discriminis regni cœlestis ac terreni, tantæ fuit altitudinis, ut neque Pilatus neque quispiam alius præsentium illud capere potuerit. Erat Rex Christus, constitutus super Sion montem sanctum; quia ipsi à Patre data est omnis potestas in cælo & in terra: & tamen simul Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, sicut ipse Melchisedech, Rex salem fuit simul & Sacerdos Dei altissimi noli obsecro scandalizari hæretice cum laudis vel vides potentiam terrenam in Ecclesia Christi, noli invidere, vicit Principem huius mundi & nunc victor facit suos sacerdotes secum regnare.

Dile mecum vivat Rex: Ave Rex: Benedictus qui venit in nomine Domini, ô Sanna in excelsis te adoramus Rex noster, tibi benedicimus, tibi gloria in sæcula sæculorum, tibi omnis nostra subiectio, tibi omnis honor, tibi nos & nostra consecramus in sempiternum. Rex Israel Amen.

§. 96. Respondet Iesus. v. 37.

Aspice & considera hic, ô Christiane, ô Religiose, quid tibi conveniat, quoties interrogatur Iesus tuus & Salvator, & quoties responderi ipse eum humilitate, submissione, & veritate, non fictè, sed sincere sive Iudæo, sive Ethnico, quia superiores constituti, & in dignitate positi sunt honorandi, Dei causa: & Tu Christiane, homuncio vilis, ovis perdita tuo Pastori animarum curatori sæpius resistere audes? tu pœnitens tuo Confessario, tu fili parentibus tuis? tu Religiose Prælato tuo? Abbati, Superiori, Priori, Priorissæ, Pudeat nos offines & pœnitentiam agamus de nostra superbia.

§. 97. Tu dicis: quia Rex sum ego.

Sive interrogando me, sive affirmando hoc dicas bene dicis: quia Rex sum ego: & ne Pilatus, nesciens alia regna, quam ista terrena mere, quæ mundus dat vel rapit ubique temperavit Dominus responsa sua, ut innocentiam probaret suam, audientes non errarent uti, mox apparebit.

Domine :